DOMINICI ARUMAEI, ... DISCURSUUM ACADEMICORUM AD AUREAM BULLAM CAROLI 4. NONUS A...

Dominicus Arumäus, Johann Krull,
Valenti Gonzaga

Digitized by Google

VIRIS

NOBILISSIMIS, MAGNIFICIS,

Ampliſsimis atq; Præclariſsimis

DOMINO JOHANNI TIMÆO JCTO Eminentiſſimo, Aulæ Cæſareæ atque Sacri Lateranenſis Palatii Comiti Splendidiſſimo, Sereniſſimi ac Potentiſſimi SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, &c. Ducis-ELECTORIS Conſiliario Intimo & Primario,

Uni &

DOMINO ARNOLDO Engelbrechten / JCTO longè Celeberrimo, Hereditario in Riedeburgk / ac Ducatus Brunſvicenſis Cancellario graviſſimo.

Necnon

DOMINO BRUNONI Stieſſern / JCTO Eximio, Regii Scabinatus, qui Hallis Saxonum eſt, Adſeſſori Spectatiſſimo.

Dominis, Patronis, Adfinibus & Promotoribus meis Magnis ac plurimùm ſuſpiciendis, Diſcurſu hoc ad Caroli IV. Imp. A. B., *quem Magnifico Ipſorum Nomini ex antiquâ illâ Formulâ* L. M. Q. *conſecro & inſcribo, Obſervantiam meam, Cultum, Honorem atq; Reverentiam debitam teſtari; Favoremq; demereri efflictim deſidero, & ut levidenſe & exile hocce Chartaceum Munuſculum æquo & propenſo Animo, ſyncerâ benigniſſimâq; Fronte acceptare, me meaq; Studia commendata habere, fovere ac promovere velint, unicè rogo & enixè contendo*

V. V. V. N. N. N.

M. M. M. & A. A. A.

Obſervantiſſimus

Johannes Krull.

IN NOMINE SACROSANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS FELICITER.

Theſis I.

Duobus locis quem habere poſſe domicilium, ſi utrobique ſe ita inſtruxerit, ut non ideò minus ſe apud alteros collocaſſe videatur, Jprudẽtibus placuit, inquit Patens noſter Ulpian. *in l. 6. §. 2. ff. ad municip.* Quod ipſum & Paulum ex aliorum opinione Labeonis rejectâ *in l. 5. ff. eod.* & Celſum *in l. 27. §. 2. eod.* ſtatuere videmus, quod conſpicamur etiam, inquit Br. *in d. l. 6. §. 2.* in Regibus, qui in qualibet ferè civitate regni ſui habent domicilium, tamen unum principalius altero. Si verò altero relicto in alium locum larem, & fortunarum, rerumque ſuarum ſummam contulerit, domicilium ibi habere non ambigitur, vox Impp. graviſſima eſt *in l. 7. C. de Incol.* Quod non ſolum ei aſſentiente, verum etiam invito prioris loci ſuperiore permittitur. *l. nihil. 31. ad Municip.* Unde quod Paulus dicit, domicilium re factoque ipſo transferri *in l. 20. ff. eod.* rectè Br. colligit, quod ſtatim cum quis recedit cum rebus ſuis, de Loco Originis, præſumatur habere animum mutandi domicilium. O jura præclara, *ait* Cic. *pro Balb.* atque divinitus jam inde à Principio Romani nominis a Majoribus noſtris comparata, ne quis invitus civitate mutetur, neve in civitate maneat invitus &c. Eſt quippe receptio in Subditum beneficium, quod nemo invitus accipere, neque acceptum retinere neceſſum habet. *l. hoc jure 19. §. non poteſt. 2. de donat. l. invito. 69. de R. J. l. nec emere. 16. C. de Jure delib.* Nullum beneficium, *inquit* Plaut. *Act. 2. Sc. 3. in Trin.* eſſe duco id, quod cui facias, non placeat, utique rationi

Ad Caput XVI.

conſentaneum fuerit, ut qui civis amplius ſuæ civitatis beneficium agnoſcere nolit, id invitus ulterius non cogatur. Quod Vaſalli Exemplo clareſcit, qui quamvis beneficium maximum à Domino obtineat, id tamen ei, ſi velit, etiam invito Domino refutare Jus eſt. *c. un. in fin. 2. F. 38. c. un. 2. F. 14.* Zaſ. *p. 10. n. 85.* Sonsbec. *p. 12. n. 114. de Ff.* Eſt enim quilibet rei, Jurisque ſibi competentis liberrimus moderator & arbiter. *l. in re mandata, 21. C. mand.* Quapropter ſi quis Civitatis Jus à ſe dimittere velit, impediri non debet. Et ita ſe habet conſvetudo ubique & præſertim in Germania recepta, ait Gail. 2. *O. 36. n. 7.* quam & in Hiſpania quoque vigere ex Bodin. *lib. 5. de Rep. c. 6.* colligi poteſt, qui quamvis, omnibus Principibus atque Civitatibus pro Majeſtatis & Imperii jure Cives domi ſemper continere licere aſſerat, aſſertione tamen hâc ſuâ civilium LL. placita hâc in re planè non ſequitur. Quod verò Dani, Scoti, Angli & Neapolitani Regnis exire vetantur, fit propter prohibitionem Superioris, qui hâc in re Juri Communi derogare poteſt. Atqui dices, ſi emigrare ad aliam Civitatem licet, quid eſt, quod Carolus noſter Cives & Subditos Principum, Baronum, Civitatum, aliorumque in aliarum Civitatum Cives, in hoc cap. admitti vetat? Et ſanè non indiſtinctè vetat, ſed pravam conſvetudinem tunc vigentem tollit. Qui igitur in ſui Superioris fraudem ſe in civitatem aliam adſcribi, ut ejus privilegiis & defenſione gaudeat, procurat, & tamen in priſtinæ habitationis loco permanet, hunc vult ex doloſâ hâc & fraudulenta receptione minimè juvari debere, ſed per omnia priorum Dominorum Jura ſalva permanere, tam perſonæ, quam bonorum reſpectu. Et rectè; Civis enim cognoſcitur ex muneribus & honoribus *l. Cives. 7. C. de Incol.* Rol. à Valle *conſ. 79. n. 38. vol. 3.* Cum ergò non munera, nec honores aut onera civitatis ejus, in quam adſcriptus eſt, ſuſtineat, iniquum foret, eum emolumentum ejus percipere. *l. ſecundum. 10. de R. J. l. fin. C. de ſum. Trinit.* Bl. *in Auth. ſed omninò. n. 23. C. ne Uxor. pro Mar.* Honded. *conſ. 5. n. 39. p. 1. vol. 1.* Non ergò deciſio c. h. ad eum, qui relicto prioris domicilii loco ad aliam verè tranſit civitatem, pertinet, qui ut per conſtitutionem domicilii verus ejus efficitur civis.

id.

d. l. 7. C. de incol. Rol. à Vall. *d. conſ. 79. n. 29. & ſeqq.* Ita alter ille, qui prius domicilium retinet ejus Civitatis, cui adſcriptus eſt, falſus civis eſſe perhibetur, & Nomine Germanico vetuſto Pfalbürger nominatur. Cujus vocabuli notatio, quæ ſit, in obſcuro eſt, de quâ vide Wehn. in Pract. O. *in verb.* Pfalbürger. & Freher. cujus conjectura *ex hoc text.* juvatur.

2. Cum ergò B. N. ad conſecutionem Privilegiorum ejus Civitatis, in quam quis receptus eſt, ut corporaliter in eam tranſeat, requirat, quid dicendum, ſi quidem tranſeat, ſed tamen animum ad prius domicilium revertendi habeat, an per temporalem reſidentiam Civis poſterioris eſſe incipit? Minimè; Tria ſiquidem, ut quis efficiatur Civis, requiruntur. (1) ut in civitate habitet h. e. domicilium habeat. *l. 1. §. habitare. de his, qui eſ. vel dej.* (2) ut continuò habitet. Rom. *conſ. 264. n. 3.* (3) ut cum totâ familiâ inhabitet non autem cum uno aut duobus. *l. 195. §. familiæ. de V. S.* Ideoque multò minus habitare cenſebitur, etiamſi in recepta Civitate commoretur, ut ſua expediat negotia, domicilium enim perſiſtendi animum requirit, *l. 7. C. de Incol.* & potius peregrinus, quam Civis reputari debet, *l. un. §. caupo furti. l. 5. §. 5. verſ. cæterum. de injur.* Domus verò peregrinationis non dicitur domus Habitationis, ut dicit Bl. *in l. ea quæ. inf. C. quom. & quand. jud.*

3. Quod ſi verò emigrare, domicilumque prius relinquere voluerit, neceſſum ea veteri Domino præſtet, quæ Majorum more vel ſtatutis requiruntur. Quocirca ſi ſtatuto vel conſvetudine receptum ſit, ut aliò migrans tertiam, vel quartam, aut decimam de ſuis præſtet, vulgò vocant, den Abzug / oder Abſchoß / Nachſtewr / eam loci prioris Superiori, ut ſolvat neceſſe eſt. Geil. *d. o. 36. n. 10. q. 1.* Rauchb. *q. 15. n. 2. lib. 1.* Cothm. *reſp. Acad. 9.* Quod æquitate non deſtituitur.

4. An autem Academici ad aliam functionem vocati, Magiſtratui loci, ex quo diſcedunt, den Abzug præſtare cogantur? Cujus quæſtionis cum anno præterito in Collegio Feudali Coronidis ergò negativam defenderim, eam & jam, utpote ve-

148

veriorem, defendere placet. Quippe cum ii ab omni Vectigalis exactione habeant ſecuritatem, cur non & hujus præſtationis, quæ nihil aliud quam Vectigal eſt, haberent immunitatem?

5. Additur inſuper *in text. noſtro*: quod receptio contra tenorem ejusdem invalida ſit, non obſtantibus in contrarium quibuscunque privilegiis vel conſvetudinibus, & recipientes, niſi receptos infra Menſem poſt Intimationem præſentium eis factam dimiſerint, centum Marcarum auri puri pœnâ, medietate fiſco, reliqua Domino applicanda, pro transgreſſione toties, quotiens factum fuerit, puniuntur.

AD CAPUT XVII. 6. Eos, qui adverſus aliquos juſtas cauſas ſe habere putabant, id agere ſolitos fuiſſe Carolus oſtendit, ut ipſos extra locum domicilii intempeſtivè diffidare, *h.e.* inimicitias denunciare, conſveverint, quod ipſum conſtitutione hâc tollit, mandatque, quod ſi quis alteri inimicitias denunciare velit, id ei perſonaliter, vel in habitationis loco ante tres dies naturales, intra quos ad defenſionem ſe præparare poteſt, intimare, factæque Intimationis fidem per Teſtes idoneos facere debet, contra ſecus facientem, infamiæ pœnam & perditionis conſtituit. Quod Conſtit. Friederici III. poſtmodum eò reſtrictum eſt, ſi diffidator juſtitiam impetrare non poſſet. R. J. *Anno* 1442. §. daß niemand den andern. Quæ quidem tempore illo jure obtinebant, quo lites armis noſtrates finire ſolebant, da das Fauſtrecht im Schwang gieng. Contra quem morem graviter & vehementer diſſerunt Nicol. Cuſan 3. *de Concord. Cathol. c.* 31. Petr. de Andlo *lib.* 2. *c.* 16. *de Rom. Imp.* Qui deinceps etiam ab Impp. Laudatiſſimis omninò antiquatus & rejectus eſt, nimirum à Maximil. I. in Comitiis Wormat. *Anno* 1495. *ſub Rubr.* der Königl. Land Fr. quod ipſum renovatum quoque ab eodem eſt in Auguſtanis Comitiis *Ann.* 1500. *ſub Rubr.* Erklerung des Land Fr. & in Comit. Colonienſibus *An* 1512. hat er alles abſagen vnd bevehden wider den Landfrieden verbotten. Item à Carolo V. in Comit. Wormat. *An.* 1521. & in Comit. Auguſt. *An.* 1548.

ſub

ſub Rubr. Königl. Römiſch Majeſtädt Landfr. Quod rectiſſimè ſtatutum eſſe exiſtumamus. Quippe cum bellicæ denunciationis ſpeciem hæ diffidationes habeant, ad Belli autem Indictionem ſine Summi Principis authoritate & Mandato devenire prohibitum eſt. *c. cum culpatur. 3. q. 1.* Balth. Ajjala *lib. 1. c. 2. de Jur. & off. Belli.* Meritò & diffidationes Feindesbrieff / Vehde / vnd Abſag / tanquam Scaturigo maximorum malorum, prohibitæ exiſtimandæ ſunt.

7. Quod verò ſi quis alicui ſcribat vel dicat, Ich will mich an dir rächen / ich will das eiffern / ich will dirs gedencken / an hujusmodi verba diffidationem importent? Quæ verba cum tam in bonam quam malam partem accipi poſſint, vel Authoritate Judicis, vel manu propriâ, ideò hoc Anton. Hering *c. 5. n. 88. de Fidej.* negandum eſſe arbitratur. Quod tamen Judicis arbitrio, qui ex Perſonarum & Verborum qualitate variè ſtatuet, committendum eſſe cenſemus.

8. Additur præterea in text. noſtro: Prohibemus etiam & damnamus univerſas & ſingulas Gverras & lites injuſtas. Ut ergò diffidationes juſtas, Gverras ſeu Bella & Conflictus prohibet, quæ tunc injuſtè ſuſcipiuntur, cum quis vel alios injuſtè invadit, vel etiam res ſibi ablatas, non in continenti, ſed manu coactâ poſtmodum recuperare conatur. Quod ſi verò in continenti ei, qui Res ſuas ablatum venit, reſiſtat, id tantum abeſt, ut contra *text. h.* ſit, ut potius defenſionis, quam Gverræ injuſtæ nomen mereatur. *per l. 1. C. und. vi. l. 3. §. cum igitur. 9. de vi & vi arm.* Gverra autem hoc loci nihil aliud ſignificat, quam aliorum conflictum, quo illi inimicitias privatas injuſtè perſequuntur, quamvis & aliàs hujus appellatione & illud, quod Imperatoris nomine publicè geritur, bellum veniat. Hottom. *in Lexic. Feud. verb. Gverra.*

9. Quid ſi verò ſiquidem non violenter irruat, ſed verbis injurioſis ad pugnam vel Duellum provocet, licebitnè mihi comparére? Quod negamus. Cum enim ex comparitione hâc Magiſtratus, cujus ſubſidio, injuriam quam ab Adverſario quis ſibi

ſibi illatam eſſe exiſtimat, vindicare poſſet, cõtemnatur, dicendum omninò videtur, hujusmodi provocatum comparere non debere. Quod ipſum & Saxoniæ Elector non ſolum prohibuit ſeveriſſimè, verum etiam provocantem, quantumvis mali ſubſecutum ſit nihil, pro Perſonæ conditione Judicis arbitrio punire jubet, uti hoc patet *ex conſtit. 9. part. 4.* Aliàs ſi Provocatus Provocantem vulneraverit, impunè hoc fert, ſi verò occiderit, non ordinariè ſed Judicis arbitrio venit puniendus, quod ejusdem D. Auguſt. *Conſtit. 10. in part. 4.* ſancitum eſt.

10. Prohibet inſuper Carolus Spolia, Rapinas, indebita & inconſveta Telonia, conductus & exactiones pro ipſis conductibus extorqueri conſvetas, de quâ re cum in c. 9. quædam dicta ſint, brevitatis ſtudio nos eò remittimus. Quibus adjungi poſſunt, quæ Guid. Papæ *deciſ. 191. ad cap.* hoc integrum ſcripſit. Ex cujus *pr.* adparet, quod hujus Bullæ tempore Delphinatus ad Imperium pertinuerit. Id tamen moderni Galli diffidentur, qui ut ſe exemptos Imperioque minimè ſubjectos oſtendant, non ferunt in Comitiis ipſorum & Parlamentis Jus Civile niſi veniâ petitâ allegari, quod Hoſpitalium in Senatu Rotomagenſi Rege & Reginâ præſentibus feciſſe, refert Thuan. 34. *Hiſt.*

AD CAP. XIIX. 11. Archiepiſcopus Moguntinus cum Imperatorem in fata conceſſiſſe intellexerit, infra Menſis ſpatium obitum ejusdem Coelectoribus ſuis intimare. §. *cum autem. 19. ſup. c. 1.* eosdemque ad Electionem novi Regis Romani evocare debet. §. *præterea 18. d. c. 1.* Convocationis autem literæ ad inſtar aliarum Monitorialium quinque continere debent. (1) Nomen ipſius vocantis ſcil. Moguntini, ut citatus Elector, à quo vocetur, intelligere poſſit. (2) Nomen item vocati. (3) Cauſam vocationis. (4) Terminum intra quem & (5) Locum, ad quem vocatus comparere debet. Quæ ſingula tantæ neceſſitatis ſunt, ut ſi unum eorum omiſſum inſuperque habitum eſſe appareat, invalida evocatio ſit, nec Electorum citatum ad

com-

comparitionem coarctare poſſit, cum modus *in h. c.* præſcriptus formam Intimationis contineat: *d. § præterea, ibi:* & eandem formam decernimus obſervari. *d. c. 1.* quæ omitti nequit. Tib. Decian. *Reſp. 64. n. 29. vol. 5.* Ruland. à Valle *conſ. 72. n. 54. vol. 3.*

12. Quærenti verò cauſam cur certa præſcripta Intimationis forma & non potiùs Moguntini arbitrio relicta ſit? Quæ certè nulla neceſſaria, ſed probabilis ſaltem & hæc quidem reddi poteſt, quod ante Bullam Moguntinus pro Suo Arbitrio eam conceperit, ſicuti apparet ex eâ Intimatione, quæ facta fuit 1291. Wenceslao Bohemiæ Regi, quâ is poſt mortem Rudolphi I. Imperatoris ad Novi Regis Romani Electionem vocatus fuit. Goldaſt. in der Teutſchen Polit *p. 1. n. 4.* Ne autem ex ſtyli formæque diverſitate, diverſitatis quoque affectuum ſuſpicio ſuboriri valeat, inter Electores, inter quos perpetua unio & æqualitas eſſe debet. *in pr. c. 7. 5. ſupr.* Ideóque ad ejusdem conſervationem, & ne à Decano unus præ alio reſpectus, deſpectusque quæri poſſit, æquabilis hæc & erga omnes obſervanda forma Intimationis conſtituta dici poteſt.

13. Quod ſi autem Elector præſcriptâ hâc formâ vocatus non venerit, aut Legales Nuntios cum literis patentibus Sigillo ſuo Majori ſigillatis plenam, liberam, omnimodamque poteſtatem continentibus non miſerit, Præſentes ad Regis Rom. Electionem nihilominus procedere poſſunt, isque qui emanet, Electionis voce & Jure, vice iſtâ privatur. *§. Princeps verò. 21. ſupr. c. 1.* quod & Clauſula comminatoria *in fin. hujus c.* addita ſatis ſuperque evincit.

14. Quamvis Electoribus permittendum eſſe non videbatur per alios non Coelectores Vicariâ operâ in actu Electionis Regis Romani uti, quód & diſertè vult Canonici Juris Sanctio *in ca. quia propter. § illud. extr. de Elect.* Attamen quia id præter *text.* indiſtinctè loquentem *in §. Princeps verò. 21. cap. 1.* actuum obſervantia frequentia fulcita comprobavit, ulterius de eo dubitandum non eſt. AD CAPUT XIX.

B 15.

150

15. Quid ſi Elector abſens duos vel plures nuncios miſerit, anne omnes Electioni intereſſe oporteat? De quâ re disputatum fuit in Electione Caroli V. Ad quam cum Ludovicus Rex Bohemiæ Ladislaum Sternbergum & duos alios Francofurtum miſiſſet, omnes Electionis actui intereſſe volebant. Admiſſus tamen ſolus Bohemiæ Cancellarius fuit. Cum enim Rex unicum ſaltem habeat votum, quod tàm per unum, quàm per plures explicari poſſet, ſupervacaneè cæteri admiſſi forent, præſertim cum Septenarius Numerus augeri non debeat, & quæ deliberanda incidere poſſint, conjunctim domeſtica opera evolvi fas permiſſumque ſit.

16. Quâ verò formâ concipiendum ſit Mandatum eorum, qui ad Electionem Regis Rom. vice abſentis Electoris amandantur, explicatur latiùs *cap. præſenti.* Quam cum Carolus *in §. præterea 18. c. 1.* obſervari usque quaque de Imperialis poteſtatis plenitudine decernat, in eâ mutari, addi, detrahive poterit nihil.

AD CAP. XX. 17. Poteſtne unus Jus Electionis, alter verò Electoratum habere? Ante hanc Bullam potuiſſe unum Jus Electionis, alterum verò Electoratum habere, itaque in Electorum Familiis, non raro obſervatum fuiſſe, Exemplis comprobari poteſt. *Vid.* Aventin. *lib. 7. Annal. Bojor fol. 777.* Quod tamen aliter ſe hodiè habere oculos in hanc Bullam conjicienti in obſcuro non eſſe poterit. Virtute quippe Principatuum Jus eligendi competit, quod in tantum ipſis Principatibus connexum & unitum eſt, ut ab iis ratione nullâ ſeparari valeat. Abſonum itaque erit alium ab eo, qui Electoratus poſſeſſor eſt, Jure Electionis gaudere, ut abſonum putatur eum Ducem, Principem vel Comitem, qui Ducatum, Principatum, aut Comitatum etiam, non habet, perhiberi. *c. un. 2. F. 10.* Menoch. *conſ. 701. n. 20.* De quibus dici poteſt, quod a Noſtris jactatur. Doctor ſine LL. Eques ſine Equo, Epiſcopus ſine Epiſcopatu, Abbas ſine Præbendâ, dicuntur nulla tenentes & Equites in herba. Cavalcan. *deciſ. 20. p. 2. n. 26.* Knich. *c. 3. n. 228. verb. Ducum Saxoniæ de*

non provocand. ita ut juxta tenorem *text. noſtri* non ſufficiat quem Electore Patre natum eſſe, niſi etiam juſtè Electoratus poſſeſſionem obtineat; ſicuti nec Electoratum aliquando poſſediſſe, ſed ut caſu Electionis vel alterius actus electoralis emergente, in poſſeſſione ejusdem reperiatur neceſſe eſt, quod Magnif. Nobiliſſ. & JCtiſſimus Dn Præſes, Præceptor, Hoſpes ac Patronus meus Parentis inſtar devenerandus & colendus *in Diſc. ad A. B. 6. th. 27.* unde Diſputatio hæc deſumpta eſt, pluribus perſequitur.

COROLLARIA.

Illuſtris quæſtio eſt; An Elector Electoratus duos uno & eodem tempore poſſidere queat? Et pro Adfirmativa adducitur, quod Pluralitas Principatuum nullibi in Jure prohibita ſit, cum itaque Electoratus ſit Principatus, ſic & ille conceſſus eſſe videtur. Et poteſt unus Electorum vices plurium in actibus Collegialibus repræſentare, ſi enim unus alterum ſubſtituat, non ſecus ac ſi ipſe præſens fuiſſet, Electio peragitur, unde defuncto RUDOLPHO Habſpurgenſi, WENCESLAUS Bohemiæ Rex Electori Moguntino Jus ac Vocem ſuam demandavit. Goldaſt. *in replic. pro Imp. c. 13.* Et cæteri Electores quamvis præſentes adeſſent Electioni Adolphi Naſſovienſis, attamen eidem Moguntino Jus eligendi conceſſerunt. Cuſpinian. *in Vit.* Adolphi. Quare paritate rationis dicendum videtur, poſſe & unum Electorem plures Electoratus habere, nam Jus, Vox & Officium inducit dignitatem Electoralem. *c. 25. ibi: quod Jus vox &c. in* A. B. Verum hiſce & ſimilibus non obſtantibus, verius eſt, non poſſe unum duos Electoratus poſſidere, idque propterea, quod ſeptem eſſe

debent Electores. *c.1.& ſeqq. in* A.B. qui numerus ad tam ſtrictam obſervantiam redactus eſt, ut nec augeri, aut etiam minui queat, & ideo cum Maxim. I. Imp. aliquando Electores pertentaret, ut Jus ſuffragii Archi-Ducibus Auſtriæ communicaretur, nihil effecit. H. Maur. *de Coron.* Caroli V. Imp. Et extat Scriptum Electorum ad Urbanum Papam, quo Numerum Electorum, qui Septenario concludi debet, multiplicari non poſſe, diſertè oſtendunt, apud Freher. *in pr. de tut. Elect.* Etſi Electoratum vacare contigerit, & ad Imperium devolvi, non poteſt Imperator eum ſibi aut Imperio reſervare, ſed neceſſe habet alium de eo inveſtire, ne ſcil. Electorum numerus minuatur *c.7. in fin.* A.B. Ex quo per arguendi modum à Majori ad minus colligitur, ſi Imperatori non licet Septenarium Numerum Electorum minuere, utique id multò minus Electori licebit, fieret autem id ſi unus duos poſſet tenere Electoratus, quia Septenarius in Sexenarium mutaretur. Quo caſu confuſio de facili in Collegio Electorali propter Votorum paritatem oriri poſſet, tribus enim Electoribus ab aliis tribus diſſidentibus, quis diſſenſionem & diſcordiam, ſi Septimus deſideraretur, tolleret? Quapropter quod Cardinalis Cajetanus de pluralitate Præbendarum ait Regulare eſſe, ut unum uni detur, & Chryſoſt. qui habet in Tyro, non capit in Damaſco, rectè ad Electoratus multiplicationem referimus.

Altera quæſtio ita ſeſe habet. An Elector Filio ſuo Primogenito cedere ex duobus Electoratibus unum poſſit? Quod facie primâ adſerendum videtur, quia

quia poſt mortem Patris Electoratus ei debetur *c.7. A.B.* Et ſaltem ſpei ejusdem obſtat pater, qui ne obſtet utique ſuâ poſſeſſione abire poteſt, quilibet enim Juri ſuo rectè renunciat. *l. pen. C. de pact.* Hinc eſt quod feudum Parens, ut filius inveſtiatur, licitè refutet. *c. un. 2. F. 14.* Vaſallus enim ſine Domini voluntate id poteſt, inquit Feudiſta *in c. un. 2. F. 38.* Quod exempla, non ſemel factum eſſe, inſinuant. Sic Adolphus Simplex Palatinus Elector Rudolpho Fratri Electoratum ceſſit. Freher. *c. 16. de orig. Palat.* Et hujus Adolphi Filius Rupertus ceſſit patruo Ruperto Electoratum. Zetzelin. *c. 5. n. 124. de Tutel. Elect.* VVenceslaus Bohemiæ Rex Sigismundo Marchiam ceſſit. Brunnius in *Catal. Elect. Brand. ſub Anno 1573. in Triad. Elect.* Cur non ergò Parens Elector Filio ſuo Electoratum cedere, ſi velit, poſſet? Major enim affectio & certior ſuccedendi ſpès Filio magis quam Fratribus aut Patruis adſiſtere videtur. Hiſce tamen non attentis, contraria ſententia attentis circumſtantiis caſus propoſiti, verior eſt. quia Parens & Filius in Collegio Electorali ſimul eſſe non poſſunt, ſicut hâc de re decretum Sigismundi Imperatoris extat, qui ad ſua uſque tempora, ut pater & filius ſimul Electores eſſent, & Provincias Imperii binas poſſiderent, uſitatum fuiſſe negat, cujus inſtituti cauſas Prudentiſſimi Impp. Majores ſui graves juſtasque habuerint. Fabric. *lib. 7. Orig. Sax.* Quod quia in terminis noſtris ita cognoſcens Imp. Sigismundus decrevit, utique meritò in contingentia facti id ut Jus ſequimur. *l. 1. ff. de Conſt. Princip.* Deinde dignitas Electoralis non hominis ſed Legis beneficio, voluntate Imperatoris & conſenſu Electoralis

Collegii obvenire ſolet. Molinæ. *conſ.22. n.12.* Ideoque Parens Elector dignitatem Electoralem Filio ſine voluntate Imperatoris & conſenſu Electoralis Collegii, quod Imperii cæteros ſtatus hoc in paſſu repræſentat, conferre nequit. Jus enim publicum unius conſenſu immutari nequit. *l. Neratius. ff. de relig. & ſumpt. fun. l. contra. ff. de pact. l. nec ex prætorio. ff. de R. J.* Et quod noſtrum non eſt, in alium facto noſtro transferri nequit. *l. nemo plus juris. ff. d. R. J.* Dignitas verò Electoralis non eſt Electoris, nec poſſidetur patrimonialiter, ſed Imperii eſt. Joh. de Terra Rubea *tr. 1. concl 1. de Jure primog.* Nec poteſt Vaſallus ſibi aſſociare alium in feudo ab Imperatore collato, quia talis aſſociatio eſſet alienatio, quæ prohibita eſt, ait in terminis Natta *in conſ. 288. n. 1. tom. 2.* Et regulare eſt, quod Elector ſive inter vivos ſive in ultimâ voluntate de Electoratu ſuo invito Imperatore diſponere non poſſit. *c. un. 1. F. 8. c. un. 2. F. 55.* Nec filio primogenito ullum Jus in Electoratu vivo Patre competit, ſed neceſſe, ut ejus obitum, antequam eum conſequatur, expectet, *c. 7. ibi. quilibet eſſe deſierit in* A. B.

Tantum.

Jam ſumus in portu: Quare ſit Gloria Patri;
Gloria ſit Christo; compar ſit Gloria Sancto
Spiritui nullis Seclorum in Secula metis.

Præ-

Præſtantiſſimo & Eruditiſſimo

DN. RESPONDENTI S.

IMperii quæ jura ſacri ſancitaque magni
Cæſaris, & regnum quid ſtabilire queat,
Diſpicis, Aſtrææ decus & flos enthee, Krulli.
Ut gravis hic labor eſt, ſic honor inde gravis.

Lmq; F.
JMDilherrus P. P. p. t.
Rector.

EUnomies prælustre decus, doctiſſime CRULLI,
Spes generis, patriæ firma columna domus.
Præſide cùm magno propugnes tmemata docta,
Magnatum quæ nos publica jura docent.
Inde etiam magnum tibimet meditatur honorem,
Et nomen magnum & præmia magna Themis.
Qui ſolus magnus magnis, precor, annuat auſis,
Atq; iſthac nutu proſperet orſa ſuo.

gratulat. ergo fac.
Joh. Gerhard D.

Præ-

Præſtantiſſimo Dn. RESPONDENTI.

SÆpius ancipites anfractus fortiter intras
Juris, conſcendens Pulpita Victor abis:
Res iterum tractas Procerum Imperiiq́; ſacrati;
Hinc laudat dotes docta Corona tuas.
Macte tuo Ingenio! macte hac Virtute! Potentes
Conſilio multos ſic Populosq́; reges:
Præmia nec deerunt, ſed erunt tibi præmia certa.
Namq́; bonum Athletam præmia digna decent.

gratulationis ergò
ſcrib.

Ortolphus Foman Secundus
U. J. D. & Prof.

F I N I S.